

- 95 *quando pro falsitate contra veritatem constituunt malas leges, probantur bene credentes et coronantur perseverantes. Quando autem pro veritate contra falsitatem constituunt bonas leges, terrentur saevientes et corriguntur intellegentes. Item eiusdem sancti Augustini ad eundem Bonifacium de bellis, nulli aestimandum neminem⁸⁰ deo placere posse, qui in armis bellicis militat. In his erat sanctus*
- 100 *David, cui dominus tam magnum perhibuit testimonium, in his etiam plurimi illius temporis iusti. In his erat et ille centurio, qui domino dixit: Non sum dignus, ut intres sub tectum meum, et reliqua. De quo et dominus: Non inveni tantam fidem in Israel. In his erat et ille Cornelius, ad quem missus angelus dixit: Corneli, acceptae sunt eleemosynae tuae, et exauditae sunt orationes tuae. In⁸¹ his erant*
- 105 *et illi, qui baptizandi convenerant ad Ioannem sanctum domini praecursorem et amicum sponsi, de quo ipse dominus ait: Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne baptista. Et cum quaesissent ab eo milites, quid facerent, respondit eis: Neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis, sufficiat vobis stipendium vestrum. Non eos utique sub armis militare prohibuit, quibus stipendium suum sufficere debere praecepit. Maioris quidem loci sunt apud deum, qui istis saecularibus actionibus derelictis etiam continentes in castitate ei deserviunt, sed unusquisque, sicut dicit apostolus, proprium donum habet a deo, alius sic, alius autem sic. Alii ergo pro vobis orando pugnant contra invisibiles inimicos, vos pro eis pugnando laboratis contra visibiles barbaros.*
- 115 *De regia quoque dignitate beatus Hieronymus in Isaia: Quaerite⁸² iudicium. Quando dixit: quaerite iudicium, ostendit non omnium esse recte iudicare, sed eorum, qui prudentes sunt. Denique et Salomon in visione per somnium hoc a domino postulavit, ut accepta sapientia iuste populum iudicaret. Unde in iudicio sedens de duabus mulieribus meretricibus iudicavit. De quo et Augustinus*
- 120 *in libro de civitate dei quinto: Neque⁸³ enim, inquit, nos Christianos quosdam imperatores ideo felices dicimus, quia vel diutius imperarunt vel imperantes filios morte placida reliquerunt vel hostes reipublicae domuerunt vel inimicos cives adversus se insurgentes et cavere et opprimere potuerunt. Haec enim et alia vitae*

⁸⁰) Augustinus, Brief 189, 4 (CSEL 57 S. 133 Z. 12–S. 134 Z. 1), auch in Hinkmar, De regis persona c. 10 (Migne, PL 125 Sp. 841 CD).

⁸¹) Augustinus, Brief 189, 4–5 (CSEL 57 S. 134 Z. 4–19), außer Z. 110 *Maioris* – Z. 112 *autem sic* auch in Hinkmar, De regis persona c. 10 (Migne, PL 125 Sp. 842 A).

⁸²) Hieronymus, In Esaiam 1, 18 (CC 73 S. 19 Z. 6–10).

⁸³) Augustinus, De civitate dei 5, 24 (CC 47 S. 160 Z. 1–28), auch in Jonas v. Orléans, De institutione regia c. 17 (ed. Revirion S. 193f.), Hinkmar, De regis persona c. 5 (Migne, PL 125 Sp. 839C–840A); vgl. Anton, Fürstenspiegel S. 216f., 394 Anm. 166.